

ægyptiorum & persarum pinxisset: quod in nilo: cuius aqua est mari similis. factum volebat intelligi: argumē-
toque declaravit: quod arte non poterat: asellum enim in littore bibentem pinxit: & cocrodillum insidiantem
ei. Oenias Syngenicon. Philiscus officinam pictoris: ignem conflante puero. phalerion Scyllam. Simo-
des Agatarchum & Mnemosinē. Simus iuuenem requiescentem: officina fullonis: quinquatrus celebrantem.
Idemque Nemesin egregiam. Theodorus uero emungentem. Idem ab Oreste matrem & Aegistum inter-
fici. Eellumque iliacum pluribus tabulis: quod est Romae in philippi porticibus: & Cassandram quae in
concordie delubro. Theontius Epicorum cogitantem Demetrium regem. Theon Orestis insaniam Tha-
myram cytharedum. Tauriscus Dioscopolus: Clytemnestra: paniscum: polynicem regnum repentem: & Capa-
nea. Non omittetur inter hos insigne exemplum. Namque erigonus tritor colorum Nealcae pictoris in tam-
tum ipse proficit: ut celebrem etiam discipulum ipse reliquerit passiam fratrem egenitae fictoris. Illud uero pro
quam rarum ac memoria dignum etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas: sicut irin Aristidis:
Tindaridas Nicomachi: Medeam Thimomachi: & quam diximus Venerem Apellis in maiori ammiratio-
ne esse: quam perfecta. Quippe in iis liniamenta reliqua: ipsaque cogitationes artificum spectantur: atque in le-
nocinio commendationis dolor est: Manus cum id agerent extinctae desiderantur. Sunt etiam non
ignobiles quidem in transcurso tamen dicendi: Aristonides: Anaxander: aristobolus syrus: archefilas Ti-
socratis filius: Coribas nicomachi discipulus: Carmanides euphranoris: Dionysiodorus colophonius:
Diogenes qui cum demetrio rege uixit. Eutymedes: Heraclides macedo: Mydon solus philomachi sta-
tuarii discipulus: Mnasiheus sicyonius: Mnasiademus aristonidis filius & discipulus: Nessus Habrois
filius polemnon alexandrinus. Theodorus samius & Tadius nicosthenis discipuli. Xenon neoclis di-
scipulus sicyonius. pinxere & mulieres. Timarete Myconis filia Dianam in tabula: quae ephesi est in an-
tiquissimis picturae. Irene Cratini pictoris filia & discipula puellam quae est eleusina. Calypso senem &
praestigiatorum Theodorum alcisthene saltatorem. Aristarete nearchi filia & discipula aesculapium. Lala cy-
zena perpetua uirgo Martia. M. Varronis iuuenta romae & penicillo pinxit: & castro in ebore imagines
mulierum maxime: & neapolitanum in grandi tabula. Suam quoque imaginem ad speculum. Nec ullius in pi-
ctura uelocior manus fuit. artis uero tantum ut multum immanitate precii antecederet celeberrimos eadem
aetate imaginum pictores. Sopylon & Dionysium quoque tabulae pinacothecas implent. pinxit & qua-
dam Olympias: de qua hoc solum memoratur: discipulum eius fuisse Antobolum. In encaustice pin-
gendi duo fuisse antiquitus genera constat: cera & ebore cestro idest uiriculo: donec classes pingi coe-
pere. Hoc tertium accessit: resolutis igni caris penicillo utendi: quae pictura in nauibus nec sole nec sale
uentisque corrumpitur. pingunt & uestes in aegypto inter pauca mirabili genere. Candida uela postquam
attriuere illinentes non coloribus: sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere non apparet
in uelis sed in cortina pingi. In feruentes aquas mersa post momentum extrahuntur picta. Mirumque cum
sit unus in cortina color: ex illo alius atque alius sit in ueste accipientis medicaminis qualitate mutatus.
Nec postea ablui potest: ita cortina non dubiae confusura colores si pictos acciperet. Degerit eos ex ui-
no: pingitque dum coquit. Et adusta uestes firmiores fiunt: quam si non uerentur.

Plastics primi inuentores: de simulacris & uasis fictilibus & pretio eorum. Cap. xii.

DE pictura satis superque. Contexuisse his & plasticam conueniat: eiusdem ope terram fingere ex
argilla similitudines. Dibutades sicyonius figulus primus inuenit corinthi filiae opa: quae
capta amore iuuenis: illo abeunte pegre: umbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis
circumscriptis. Quibus pater eius impressa argilla typum fecit: & cum ceteris fictilibus induratum igni pro-
posuit: eumque seruatum in nymphaeo: donec corinthum Mumius euerteret: tradit. Sunt qui in samo pri-
mos omnium plasticam inuenisse Rhoecum & Theodorum tradant multo ante Battiadas corintho pul-
sos. Demarathum uero ex eadem urbe profugum qui in etruiria Tarquiniu primum regem populi Roma
genuit: comitatos fectores eucharum & eugramum: ab his italiae traditam plasticam: Dibutadis inue-
tum est rubricam addere: aut ex rubia cretam fingere. primusque personas regularum extremis ibricibus im-
posuit: quae iter initia ptypa uocauit. postea idem ectypa fecit. Hic & fastigia templorum orta: propter
hunc plasticam appellati. Hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit: caeraque in
eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus sicyonius frater Lysippi: de quo diximus. Hic
& similitudinem reddere instituit: ante eum quam pulcherrimas facere studebatur. Idem & de signis ef-
figiem exprimere inuenit. Creuitque res in tantum: ut nulla signa statuae uel sine argilla fierent. Quo ap-
paret antiquiorem hanc fuisse scientiam quam fundendi artis. plasticam laudatissimi fuere Dimophilus &
Corgasus. Idemque pictores qui ceteris aedem Romae ad circum maximum utroque genere artis suae excu-
luerunt: uersibus inscriptis graeciae: quibus significarunt a dextra opera Dimophili esse: a parte leua Gor-
gasi. Ante hanc aedem tuscanica omnia in aedibus fuisse auctor est. M. Varro. Ex hac cum reficerentur:
cruetas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse. Ita signa ex fastigiis dispersa. Fecit & calco-

Teleclius:

Martia in
antiq. lib.
non legitur.

Euchino